



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXIII. Disce à crucifixo Jesu ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

tas minarum, & capitis velatio, & idus maxillarum. Extra muros dejicior, & ipse crucem fero; Matre vidente spolior vestimentis quæ gero; Tandem clavus confodior, & in cruce morior. Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quaris. Audis hoc?



CONSIDERATIO LXXXIII.

Disce à Crucifixo JESU ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. v. 34.

I.

Gen. 49. 1.

Jacob Patriarcha brevi nunc moriturus, convocatis filiis suis ex lectulo suo ultimam concionem habuit: *Audite filii Jacob, audite Israël patrem vestrum &c.* Christus Dominus in infami pendens cruce ex hac sublimi cathedra supremam nobis concionem fecit, quæ non epilogus tantum, sed & epitome ac compendium omnium suarum fuerat concionum, cujus perorantis exordium S. Lucas sic exprimit: *JESUS autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Pater, inquit, non Deus, non Dominus, non Rex cœli & terræ, non Judex integerrimus, sed *Pater*, ut eò facilius Patris irati cor placaret; Tot enim auditis sceleribus contra Christum Domini, quid aliud potuisses expectare, nisi ut terra dehisceret, eosque sicut olim Core, Dathan & Abiron absorberet? Aut ignis e cœlo deplueret, quemadmodum in centurionem, Eliam de monte per vim ad Regem Ochoziam trahere volentem descendit? Sed *JESUS* totus amor est ac salus: *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O prodigium amoris!

Luc. 23. 34.

Num. 20. 10.
4. Reg. 1. 10.

Gen. 9. 25.

2. Non sic concionatus est Noë à filio suo irrisus, & nunc surgens de crapula: *Maledictus*, aiebat, *Chanaan, servus servorum eris fratribus tuis.* Non sic Eliseus, cum calvus à petulantibus pueris appellaretur: *Male-*

Maledixit eis in nomine Domini. Non sic Zacharias Jojadæ filius, cum ab impiis lapidaretur: Videat Dominus, & requirat. Sed mitissimus JESUS pro omnium salute peroravit: Pater dimitte. Supra quod egregiè S. Bernhardus: Videte, inquit, nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis casus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus. Omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis. Hinc multa miseria corporis, hinc multa misericordiæ cordis. Mira res. Illa clamat ignosce. Judai: Crucifige. O charitas immensa! Et quis audivit tale?

3. David serenissimus Israëlitarum Rex, ubi mirabilem solis cursum attentius inspexit, attonitus exclamavit: Sol cognovit occasum suum. Et quomodò, dices, sol materialis potest cognoscere occasum suum, dum carèt ratione, neque corpus habet organicum? Audi plura.

Ecclesiastes de sole ait: Sol oritur, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem ad Aquilonem, illustrans universa. Per hunc solem Orientem & Occidentem, omniæque illustrantem S. Chrysostomus allegoricè Christum Dominum, qui est sol justitiæ, perelegantè intelligit; Ortus est autem hic sol in nativitate, pertransiit in vita benefaciendo omnibus, cognovit occasum suum, dum obiit & occidit in cruce, ubi & pro transgressoribus oravit.

Et de hoc mystico sole videtur Christus esse locutus, cum discipulis suis & omnibus Christianis hanc gravissimam sententiam intimavit: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Et rationem addit bene à nobis considerandam; Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Observa prudens Lector! Hæc pluvia facta est, cum cruci affixus est Jesus, per quam sanguineam pluviam omnes redempti sumus. Hinc rectè Nicetas pro reflexione nostra morali: Si cujuscumque in te contumelia effervescent, atque in summam magnitudinem erecta, ingentem in te furoris flammam excitarit, animùmque tuum ulciscendi cupiditate incenderit: fac, protinus tibi Christus in mentem veniat; da operam, ut contumelias, illusiones, flagra, & vulnera ea, quæ ille salutis tuæ causâ in cruce pertulit, quàmprimùm recorderis; sic fiet, ut hujuscemodi cogitationibus, tanquam aquis, animam tuam leniens, atque irrigans, mæroris atque iracundiæ æstum extinguas.

4. Videamus nunc breve testamentum crucifixi Jesu: Patri commendavit animam, Matri corpus, latroni paradisum, militibus vestimenta, Magdalenæ vas sanguinis, Nicodemo ferreos clavos, Josepho ab Arimathæa spineam coronam, Ecclesiæ crucem, & peccatoribus, qui eum agebant in crucem, plenariam veniam, indulgentiam, gratiam ac misericordiam: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. O amoris

4. Reg. 2. 23.
2. Par. 24. 22.
S. Bernh. ser.
ser. 4. heb.
dom. Mai.

Psal. 103. 19.

Eccl. 1. 5.

S. Chrysost.
hom. de Tur.
ture to. 5.

Matth. 5. 44.

Nicetas Naz.
Scholiastes.

Luc. 23. 34.

R r

ris

ris prodigium! δ abyssus infinitæ bonitatis! δ ignis divini amoris quem neque flumina, neque oceanus dolorum & calamitatum potuit obruere & extinguere. Et quid nos ad ista, si à proximo offerdimur?

5. Abrahamo patri suo Isaac filius nunc in monte super struem lignorum immolandus dixit: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti*. Pientissime JESU! tu adumbratus es per illam victimam in Calvarie monte immolandam: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti*? Utrumque paratum est, lignum crucis, & ignis amoris immensi, quem hactenus abscondisti in sinu tuo, qui, dum crucem ascendisti, pleno impetu de pectore tuo erupit, & usque ad crucifixores & interfectores tuos se extendit, dum dixisti: *Pater dimitte*. O ferrea, δ faxea mortalium peccata! considerate, quòd non tantum animam suam pro amicis, sed & pro inimicis suis posuerit. An major potuit inveniri charitas? O *verbum*, exclamat S. Bonaventura, *δ verbum totius dulcedinis & venia: Pater ignosce illis! δ verbum totius amoris & gratia: Hodie mecum eris in paradiso. Respira nunc in spem venia anima, quantumcunque peccatrix: Si tantum patientis pro te Domini Dei tui vestigia sequi non abhorres. Respira in spem.*

6. Varii Interpretes varias assignant causas, quare mitissimus JESUS in morte sua caput inclinaverit? Ita S. Joannes presens cruci, & morti Redemptoris nostri assistens: *Et inclinato capite transiit spiritum*. S. Athanasius vult, quòd Christus, cum jam omnia essent consummata, nutu capitis morti annuerit, signumque dederit, ut accederet. S. Bernhardus: Ut se Patri demonstraret obedientem usque ad mortem. Alii ut Matri suæ afflictissimæ ultimum vale diceret. Omittis aliis rationibus subintrat hic S. Laurentius Justinianus: *Caput flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam*, imò ad ipsos suos crucifixores caput suum inclinavit in signum reconciliationis, quòd tantum eis remittat scelus. Et quid dico? ad omnes peccatores, & ad me & te, δ mi Lector! pariter inclinavit caput, ut nobis verè contritis ac pœnitentibus offerret perfectæ reconciliationis osculum & veniam delictorum. Et nos invicem, heu nos miseros! sumus adhuc tam duri, ut nolimus cum Deo reconciliari? tam duri, ut oculos, vultum & animum à proximo avertamus? O JESU! δ Amor crucifixe, indignus ille est hactui capitis inclinatione, qui hoc facit; indignus pretioso sanguine tuo; indignus passione ac morte tua, imò mille dignus infernis, qui proximo non ignoscit.

7. Placent exempla Sanctorum ac piorum? Vade Florentiam, & videbis in templo S. Miniati propè muros antiquissimam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem, capite à ligno remoto & dimisso, S. Joann-

Joannem Gualbertum, quia ob amorem Crucifixi fratricidæ ex animo ignovit, quasi amicum salutantem, ac in illius ruentem amplexus.

Vadē Hierosolymam, & videbis ad S. Sepulchrum Domini aliam ^{Caesar. lib. 8.} Crucifixi iconem, quæ Nobili quondam Equiti cruce signato profunde ^{cap. 2.} caput inclinavit, quia prius inimicum, patris sui occisorem, ob honorem & amorem sanctissimæ crucis, in qua DEus & homo Christus pendens misertus est generi humano, veniam rogantem benignè in gratiam & amicitiam recepit: *Ecce, inquit, Eques ille Nobilis nunc reconciliatus, propter honorem sanctissimæ crucis, ut mihi qui in ea passus est, peccata mea indulgeat, non solum tibi culpam remitto, sed & amicus ero, deditque tibi osculum pacis.*

Simile quid refert Calamato. Contigit, inquit, generosum ac ^{Calamato to.} nobilem militem obvium sibi habere inimicum, qui sui dilectissimi ^{2. disc. 3.} patris interfectore extitit, quo conspecto, scelestum arrepto gladio ad trucidandum aggreditur. Hic se inermen conspiciens, ad pedes provolvitur militis, & per amorem crucifixi Salvatoris tanti sceleris veniam & condonationem postulat. Miles audito Christi nomine, sine mora odium deponit, vindictam in amorem mutans, & delinquentem liberum ac incolumem cum pacis osculo dimittens. Quo facto vicinam ingreditur Ecclesiam, crucifixum humiliter adorans, & pedes ejus exosculans. Audite nunc vindicativi! lignea solvuntur brachia, corpus durum inclinatur, & Christus in cruce dictum militem benignè amplectitur, ex cujus ore hæc dulcissima verba promanabant: *Charissime amice & fili sanguinis mei, tu amore mei condonasti mortem patris, qui illum occiderat, & ecce ego condono tibi, atque deleo peccata tua. O felices,*

qui omnes injurias sibi illatas ob amorem crucifixi JESU suis norunt condonare inimicis: *Pater dimitte.*



Rr 2

CON-